

Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors

Cabilliau, Baudouin

Lovany, 1642

Epigram. 45. Christus aquas suo Baptismo expiat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-70001)

*Epigram. 43.***Christus suo Baptismo Iordanem
consecrat.**

Expiat illimes ripâ Iordanide lymphas
Christus, & æthereas impluit almus aquas.
Vber inexhaustis dimanat gratia riuis.
Ut retigit castum candida lympa caput,
Corpus ut vnda : sacer sic & cor eluet imber.
Vnde nouum prisco flumine flumen eat,
Nonne vides purum secum Deus euehit orbem,
Quem lauit nitidis Isacis vnda vadis.
Quid? mundum niuea Iordanis an abluit vnda?
Amnis hic immenso maior it Oceano.

*Epigramma 44.***Votum Iordanis vbi Ioannes Christum
intingit.****IORDANIS AD IOANNEM.**

Abluis ô felix Iordanide Numen in vndâ?
O trahat è Christo purior vnda decus!
Quod Christum decuit, quem non decet ibo per orbem,
Iordanis tacitis ipse sulurrat aquis.
Si non Oceani vastis sim largior vndis
Oceano saltem sanctior ibo liquor.
Copia densarum mihi quo fluat vber aquarum,
Si tot vbiique lutum turpe redundat aquis.

*Epigram. 45.***Christus aquas suo Baptismo expiat.**

Iordanis nitidis vndis irrorat I E S V M
Sic fluuius fontem iam lauat ipse suum,
Sea potius fons ipse suum sacer abluit amnem;
Purior ut niueas diluat imber oves.

Epigram. 46.